



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
DIE XV. OCTOBRIS.



*utetia Parisiorum, a. d.*  
17. Septemb. In om-  
nium nunc apud nos  
ore est connubium,  
quo rex thalami so-  
ciam sibi iunget regis  
Hispanorum filiam.

Illa iam, relicta Mantua Carpetanorum,  
nobillissimis stipata foeminis, in viam  
Parisios versus se dedisse, fertur, vt an-  
te hiemem urbem ingrediatur. Dux  
Ventadouria, quae paruulam nuptam  
Gallicis educabit moribus, & res dein-  
ceps illius moderabitur, regis iussu ei  
propediem ibit obuiam, illamque ad  
regem adducet. Heri Villaregius splen-  
didissimo exceptit conuiuio, quotquot  
ad nuptias Boufferii, qui neptem ejus  
vxorem sibi duxit, inuitati fuerunt.  
Eodem die Boisius purpuratus, e mani-

bus regis accepit purpuream tiaram  
quam a Romano pontifice missam, pridie  
illius diei, nuncius adtulerat. Tantum  
autem gratia Boisius valet apud regem,  
& Aurelianensem ducem, vt non tan-  
tum omnibus arcanis rebus adhi-  
beatur arbiter, sed etiam maxima,  
& praecipua in aula negotia admini-  
stret. Pridie Iduum Septembr. Mallius  
eques, carpento veetus, ad palatium  
regium accessit, & rege rite salutato e  
vita discessisse, narrauit, auunculum su-  
um, Mallium purpuratum, qui *Archi-*  
*episcopatu* Remensi, aliisque quam plu-  
rimis in Gallia muneribus admotus fue-  
rat. Sallantus *comes*, qui ante bieni-  
um, propter litem, quae illi cum Har-  
laeo intercesserat, Metis se contulerat  
Parisios, nunc finita illa, in eam urbem,  
cui praefectus datus est, rediit.

*Alia,*

Alia, a. d. 15 Sept: Theologi Parisien-  
 ses, qui ab aedibus, quae illorum con-  
 uentu sunt celebres, doctores Sorboni-  
 ci vocantur, litteras nuper exhibue-  
 runt regi, & magnopere ab illo con-  
 tenderunt, vt pessimis consiliis, qui-  
 bus homines male feriat ipsorum li-  
 bertatem funditus euertere adgressi  
 fuerint, tandem aliquando poneret  
 obicem, atque a nefario illorum impetu  
 ipsos defenderet. Tibi enim vni, dixisse  
 feruntur, causam nostram comittere  
 fas est, quoniam spem habemus cer-  
 tissimam, fore, vt decus, quod ordo  
 noster a maioribus acceperat, & tam  
 longa annorum serie illibatum sibi  
 seruauerat, sub imperii tui auspiciis  
 quam diutissime perennet, & noua  
 in dies capiat incrementa. Vt enim  
 reliquos silentio prætereamus Gallix  
 reges, vnum tibi nominabimus Ludo-  
 uicum decimum quartum, cuius in eo  
 semper versabatur cura, vt nostra no-  
 bis dignitas facta ac tecta maneret,  
 & nihil vnquam eorum, quae a maio-  
 ribus recte sapienterque instituta  
 erant, imminueretur. Quinimmo, eos-  
 quos perniciem nobis machinari in-  
 tellexerat, tantopere auersatus est ani-  
 mo, vt ne audire quidem illos vellet.  
 Quare ipsemet omnium optime perspi-  
 cies, quam pessime nobiscum egerint,  
 qui, cum more antiquo *Syndicum* or-  
 dini nostro constituere vellemus, pri-  
 uilegia nostra violare, & Romignium  
 sua constitutum auctoritate, obtrudere  
 quasi nobis ausi fuerint. In eo enim  
 nostram præsertim versari salutem exi-  
 stimamus, vt talis huic muneri præfi-  
 ciatur, qui omnia, vsu, ac consuetu-  
 dine a nobis recepta, quam diligentif-  
 sime obseruet custodiatque, & nihil  
 vnquam vel ipse suscipiat, vel com-  
 mitti ab aliis patiatur, quod nostro

ordini detrimento, aut dedecori esse  
 queat. Num autem in Romignio eius-  
 modi virum nacti sumus? Is certe, si-  
 mul ac se tanto præfectum fuisse mune-  
 ri cognouerat, nostra statim adortus  
 est priuilegia, & legibus, ad quarum  
 normam omnia sedulo expendimus,  
 procul habitis, ea, quae non nisi in  
 conuentu & conspectu omnium decer-  
 ni debebant, solus fere, vel paucis tan-  
 tum, quos sibi forte beneficiis devin-  
 xerat, doctoribus in consilium adhi-  
 bitis, peragere ausus est. Cumque nu-  
 per in eo versaremur, vt forte quem-  
 dam, qui *Decani* apud nos munere ac  
 dignitate gauderet, eligeremus, tan-  
 tum sibi, præter opinionem omnium,  
 sumsit Romignius, vt antequam fors  
 exiisset, pro ea, quam sibi arrogauerat,  
 auctoritate, crearet aliquem, & clara  
 eum voce renunciaret. Ita profecto  
 hic, vt ne singula adferamus, id quo-  
 tidie agit, & molitur, vt, summa ve-  
 luti imis miscendo, seditionem ac dis-  
 cordiam inter nos ortam foueat, & oc-  
 culta hostium nostrorum odia, quae ad-  
 huc tacitis continentur animis, in op-  
 timi tandem cuiusque caput concitet.  
 Hac enim ratione facile se efficere posse  
 arbitratur, vt, dissidentibus inter se no-  
 strorum animis, suo deinceps nutu, at-  
 que arbitrio omnia apud nos gerantur;  
 illo in primis tempore, quo tot carissi-  
 mos amisimus socios, & ad paucitatem  
 fere redacti sumus. Profecto, quo-  
 tiescunque id, animos nostros su-  
 bit, non sine exquisitissimo dolore,  
 grauisimum ilud vulnus, quod eorum,  
 qui a nobis discesserunt, abitu, quasi  
 inflatum fuit ordini nostro, denuo re-  
 fricatur. Quid enim probi atque inge-  
 nui homines, qui vitæ ac morum inte-  
 gritate maxime conspicui arant, vt ne  
 suspicari quidem male de iis possent  
 aduer.

„adversarii, quid, quæsumus, tam nefan-  
 „dum admiserant? vt, quemadmodum  
 „patriæ proditores, male habiti, & omni-  
 „bus bonis priuati, in eiusmodi loca  
 „abire cogentur, vbi præter lucis vsu-  
 „ram, quam natura omnibus commu-  
 „nem esse voluit, nihil fere quicquam  
 „illis relinqueretur, quo vitam misere  
 „tolerare vix poterant. Hinc, quæ no-  
 „bis immineant pericula, vix verbis elo-  
 „qui possumus. Postquam enim res eo  
 „redierunt vt plane nihil in posterum  
 „in consultationem, deliberationemque  
 „apud nos venire queat, nisi prius ad  
 „*Cancelarium* fuerit delatum eiusque,  
 „probatum suffragio; nihil omnino, præ-  
 „ter inane nomen nobis relinqui, facile  
 „videmus, quandoquidem doctores,  
 „quorum, Pontificis Romani, tot re-  
 „gum, totque conciliorum consensu,  
 „maxima semper in rebus sacris fuit au-  
 „ctoritas, nunc ab vnus *Laici* voluntate  
 „atque arbitrio pendere debent. Plura  
 „alia in hanc sententiam protulerunt  
 „patres Sorbonici, & paratum se habere,  
 „dixerunt, animum, ad quæuis sube-  
 „unda pericula, dummodo causam suam  
 „regi probare, & doctrinam a patribus  
 „acceptam alacri animo profiteri queant.

*Roma, a. d. 26. Sept.* Spes iam est  
 haud dubia, fore, vt dissensio, quæ  
 hætenus inter nostram & Sabaudicam  
 aulam intercedebat, breui compona-  
 tur. Abbas enim *Magnanius*, Principa-  
 tus *Masserani* præfectus, Augustam Tau-  
 rinorum profectus est, vt ibi cum Du-  
 ce Sabaudicæ controuersiam omnem  
 tranfigat. Cum nuper *Cardinalis Bellu-  
 ga* litteris a rege suo fuisset monitus, vt  
 ad suam se iam conferret Episcopen,  
 plus se Pontificis Maximi, quam Regis  
 mandatis obsequi debere, respondit;  
 non igitur dubitamus, eum porro per  
 tempus aliquod, hic esse commoratu-  
 rum.

*Genua, a. d. 20. Sept.* Proxime præ-  
 terita Solis die, nauis quædam Hispa-  
 nica, quæ ante dies 14. *Barcelona* sol-  
 uerat, huc est appulsa. Etsi vero ea  
 nullum portum attigerit, tamen quia in  
 mari Gallico aliquantisper commorata  
 est, neminem ex ea littus conscendere  
 permittemus, ante dies 20. probandæ  
 sanitati præfinitos, Qui in ea sunt,  
 noui nihil ex Hispania nuntiant, præ-  
 terquam, quod *Philippus* homines cer-  
 tos miserit ad *Portum Magonis*, qui na-  
 ues suas, quas Angli in prælio ad Syra-  
 cusas ceperant, reducerent. Naues  
 præterea duas breui huc accessuras, qui-  
 bus *Cardinales* Hispanici, Romæ com-  
 morantes, domum reuehantur. Cete-  
 rum *Gadibus* etiam nauigium quoddam  
 ad nos accessit, cuius vectores comme-  
 morant, nauem insignia Gallica haben-  
 tem, *Brixiamque* destinatam, piratis  
 prædæ cessisse.

*Petropyrgi, a. d. 15. Sept.* Heri Im-  
 perator noster fluuio *Niciua*, celoce  
 vectus, ad nos accessit. Salutauimus  
 eum strepitu trium tormentorum, quæ  
 in nauis erant; & bis quidem Suecorum  
 more, ter vero consuetudine Russorum.  
 Eo ipso auctore accepimus, pacem tan-  
 dem aliquando *Nistadii* coaluisse,  
 quin & conditionibus eius, partis vtri-  
 usque Legatos iam subscripsisse, nec  
 quidquam superesse amplius, quam vt  
 eas, vbi confirmatæ fuerint, a. d. 30.  
*Sept.* cum rege Sueciæ permutentur.

*Legum illarum, quibus pax conciliata est,  
 summam hanc esse, ipse retulit  
 Imperator.*

I. Suecis Ducatum *Finnicæ* ad fluuium  
*Kymen*, qui *Careliam* terminat, red-  
 ditum iri; Russos contra, *Careliam*,  
*Ingermanniam*, *Esthoniæ*, & *Liuo-  
 niæ*, belli tam grauis præmium, hac  
 lege

- lege habituros, vt 200000. Vallen-  
fium, vnius anni intervallo, pen-  
dant, ita, vt singulis trimestribus  
500000. exsoluant.
2. Sueones Regionum harum titulis &  
in signibus abstinere velle.
  3. Rufforum Imperatorem iura & pri-  
uilegia Esthoniae & Liuoniae incola-  
rum confirmaturum.
  4. Qui prouinciis his excessere, his  
triennii intervallo redeundi, & data  
submissionis fide, manendi, vel, si  
secus eis visum fuerit, venditis rebus  
suis, redeundi facultatem datum iri.
  5. Commercii leges mutuas & æquales  
fore, vt, quibus fruuntur Sueci in  
Russia, iisdem & Russi in Suecia, fru-  
antur.
  6. Pacem hanc perpetuam fore.
  7. Regem & Rempubicam Poloniae, vt  
& Electoratum Saxoniae, eadem pace  
contineri.
  8. Russum obstringi, vt terra marique  
Suecos, si inter Regem & senatum,  
de summa potestate controuersia  
oriatur, adiuuet.
  9. Stanislaum Leszinskyum hac pace  
prorsus neglectum esse.
  10. Cosaccos, in primisque Zaporouien-  
ses, veniae petendae causa, ad ipsum  
Imperatorem Rufforum amandatos  
esse.
  11. Successionem in Regnum Suecicum,  
iisdem legibus, quibus nuper consti-  
tuta est, vt Rege & Regina mortuis,  
electio libera sit, permanuram.
  12. Captiuos vtrunque, sumtibus eius,  
a quo capti sunt, ad fines esse dedu-  
cendos.
- Huius nuntii causa, hymnus Ambro-  
sianus hoc meridie in aede, SS. Trini-  
tati dedicata, decantatus est. Id cum  
factum esset, oratores exterarum gen-  
tium, gratulatum ad Imperatorem ve-

nerunt, quibus benigne auditis, trigin-  
ta dolia vino sublimato plena, in ple-  
bem iussit distribui, quæ Imperatorem  
suum sibi præeuntem, & stando in do-  
lio, in salutem subditorum bibentem,  
faustis acclamationibus excepit. Inde  
cum vniuersis aulicis in quatuor tire-  
mes se contulit, vbi postea singuli ani-  
mum suum, in salutem eius certatim ac  
strenue bibendo, testabantur.

*Ex prouinciis, quæ a Rheno inferiore  
adluuntur. a. d. 19. sept.* Jubilæum, quod  
Pontifex Romanus publice indixerat,  
more atque instituto maiorum solem-  
niter celebrauimus. Militibus, qui in  
terris Juliensibus, & Montensibus huc  
vsque conscripti fuerunt, nunc legiones  
supplentur; copiarum autem ductori-  
bus datum est negotium, vt tyrones ar-  
mis adsuafiant, & certamine edito lu-  
dicro, bellis præparent. Cadoganum  
Comitem, regis magnæ Britanniae lega-  
tum, & Albemarlum Hagæ comitem  
expectant.

*Viennæ, a. d. 11. Octob.* Hodie mane  
summo, hora videlicet quinta, Prin-  
ceps Antonius Florianus Lichtensteinus,  
familiae caput, postquam morbo gra-  
uissimo ante dies vndecim implicitus  
esset, placidissime animam reddidit, cum  
attigisset annum ætatis sextum & sexa-  
gesimum.

*Posonii, a. d. 15. Sept.* Apparatu vin-  
demiali hic quidem strepunt omnia;  
sed an vinum, quod speramus, tale sit  
futurum, vt annis superioribus, quomo-  
docunque respondeat, est, cur dubite-  
mus. Idem ex superiore Hungaria  
nuntiatur. Certe vinum passum, *Aszu  
Szölö Bor*, nostri vocant, vix ac ne vix  
quidem colligi posse credunt. Alio-  
quin videas non paucos, qui vt con-  
gressui, quem Regis nomine, *Palat-  
inus* indixit, interfint, huc confluunt.